uersiculo. Et pastores erant in regione eadem uigilantes: et custodientes uigilias noctis super gregem suum. Et ecce angelus domini stetit iuxta illos: et claritas dei circumfulsit illos. Et timuerunt timore magno. Et dixit illis angelus. Nolite timere. Ecce enim euangelizo uobis gaudium magnum quod erit omni populo: quia natus est uobis hodie saluator. qui est christus dominus in ciuitate dauid. Et hoc uobis signum. Inuenietis infantem pannis inuolutum: et positum in presepio. Et subito facta est cum angelo multitudo milicie celestis: laudantium deum et dicentium. Gloria in altissimis deo: et in terra pax hominibus bone uoluntatis. Credo in unum deum non canitur etiam si dominica die sit. Offertorium.

[L]etentur ce[li] et exul-tet ter-ra an-te fa-ciem do-mini [quoni]am

Accepta Secreta

[ue] nit.

sit domine tibi quesumus hodierne festiuitatis oblatio. ut tua gratia largiente per hec sacrosancta commercia in illius inueniamur forma: in qua tecum est nostra substantia. Ihesus christus dominus noster. Qui tecum. Prefatio. [Qui]a

per incarnati uerbi. Infra canonem. Communicantes et noctem sacratissimam celebrantes qua beate marie intemerata uirginitas huic mundo edidit saluatorem. Sed et memoriam uenerantes eiusdem gloriose semper uirginis marie. Communio.

[I]n splendoribus sanctorum ex utero ante luciferum genui te.

Da nobis quesumus domine Post communio deus noster ut qui natiuitatem domini nostri ihesu christi nos frequentare gaudemus: dignis conuersationibus ad eius mereamur pertinere consortium. Qui tecum. Benedicamus domino. Deo gracias. Postea sequuntur laudes deinde primo mane.

Lux fulgebit hodie super nos quia natus est nobis dominus et uocabitur admirabilis deus princeps pacis pater futuri seculi cuius regni non erit finis. Psalmus. Dominus regnauit decorem indutus est indutus est dominus fortitudi[nem]